



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660**

S. Helladivis Conf. 18. Februarij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42032**

## S. HELLADIVS CONF. 28. Februarij.

**P**rimam ætatem maximamque vitæ aulicus HELLADIVS, alteram monachus, ultimam Pontifex egit; omnem ita, ut dubitem, quam sanctius. Rempublicam cum adhuc administraret, latere jam tum sub purpurâ monachum deprehendisses, ita modestia hanc ornabat. Ergo igitur quoties via ad monasteriû Agaliense ferebat, descendere HELLADIVS ex equo, amissoque famulorum & clientum grege, Dei servis operam suam locare, furnoque instruendo ligna comportare iis humeris, quibus regni onera solebat. Quantum Superi! refert, quibuscum familiaritatē in eas. Consuetudo hæc sancta paullatim omnem mundi pulchritudinem ex animo HELLADII delevit, & id denique potuit, ut sanctissimus aulicæ servitutis transfuga pro pileo cucullum inter non ignotos jam Sodales quæreret. Dedere & hunc & monasteriû præfecturam insuper. Mox Toletana quoque insula invitum texit. In hac maxima gemma eminebat ultima modestia, quâ iterum mendicabulorum societatem purpuratus ambiebat. Atque hos quidem ita foveri ab illo vidisses, ut spiritum illius ex horum pendere crederes. Obiit annis meritisque gravis, cum literis mandare nihil voluisset, pluris faciens scribenda facere, quam scribere facienda. *Ex Ildeph. & Bar. Not. Mart.*

*Quomodo non verè humiliabitur anima in cognitione sui, cum se perceperit onerata peccatis, mole mortalis corporis aggravatam, terrenis intricatam curis; carnalium desideriorum fece infectam, proclivem ad vitia, invalidam ad virtutes? S. Bern. serm. 36, sup. Cant.*

E

S. AVXI